

eripi. Adde quòd etiam dicitur *schebiah* formâ femineâ, id est, *captivitas*, ut vertere possis, et *captivitas in justitiâ*, scilicet *redimetur*. *REDIMETUR*; *phadah*, cuius hic passivum legitur, est *liberari ex periculo, angustia seu captivitate*; aptissimèque dicitur de redemptione per Christum. Nam pericula et scandala ubi similia iis quæ in regione peccati passim sunt obvia? *Pericula inferni* hæc sunt et *porta mortis*; minimo enim interstitio à morte perpetuâ illi dividuntur, qui in peccatis degunt. Quid de angustiis referam? sunt verò *dolores mortis*, et veluti *funes* quidam qui mentes sensusque constringunt, et quasi *captivos abducunt nos in legem peccati*; quod quidem dolenter conqueritur Paulus Rom. 7. Neque id latet eos qui aliquem sensum peccati aut gustum Dei habent. Quæ enim latitudo animi illi contingere poterit qui Deum sibi iratum agnoscit? Adde quòd mala conscientia semper est pavidâ. His malis tandem accedit tyrannis implissimorum et crudelium dominorum, à quibus non nisi per Filium liberari poteramus. Tunc autem verò *liberi sumus*, ut ipse apud Joannem affirmat, *si ab eodem fuerimus liberati. Eranus* itaque *servi peccati, at per Christum verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habemus fructum, sanctificationem, finem verò vitam æternam*. Summa igitur lætitia est nobis percipienda, gratiaque perpetuò agenda, juxta illud Psal. : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus*. Sed quorummam est hoc canticum? quis hæc laudes Domino decantabit? *Dicant, inquit, qui redempti sunt à Domino*, etc.; ubi certè nonnullas liberationes numerat ex errore viæ, ex inanis periculis, ex captivitate, etc., quæ si conferantur cum eâ libertate quæ nobis per Dei Filium conignit in judicio et justitiâ, pueriles videbuntur. Ignorat itaque miseri Judæi majestatem Redemptoris sibi promissi, quia latet eos quanta sit peccati captivitas, quâ usque ad hoc tempus detinentur.

VERS. 28. — ET CONTERET, etc. Etiam prius jam extirpandos improbos dixisset, rursus tamen ad idem redit, ne putarent Judæi, adveniente Messia suo, omnia sibi tuta fore. Hoc enim sepius propheta solet repetere, ne unquam sibi impunitatem promitterent. Imò verò cum redemptio esset in justitiâ, manifestum esse vult, quòd quicumque justitiam quæ per Christum est non amplecterentur, interituri essent. Ex quibus alteram intelligentiam superioris versûs à superioribus elicere possumus, scilicet quòd *Sion redimetur in judicio et justitiâ*, id est, ut nihil in eâ liberatione contra jus factum videri possit; justus enim est Deus, et justitiam in ipsâ misericordiâ nunquam deserit; neque ei unquam placere poterit impietas aut iniquitas, ne putent impij, quòd quia *liberabitur Sion et Jerusalem*, ipsi impunè vivant, et rerum domini futuri sint Judæi, quoquo pacto tandem vivant; alienum hoc prorsus est à Dei justitiâ, cui odio est impius et impietas ejus. *Redimetur itaque Jerusalem*, sed summo cum judicio: quod mox explicat, id est, ut *conterantur omnes peccatores et scelerati*; pii verò, seu qui abjectâ impietate Christo Domino

adhærere velint, libertate fruantur; cæteri vero deciant à terrâ ita ut non sint, id est, funditis omnino deleantur. Ergò, juxta hanc expositionem, quæ sequuntur usque ad finem capituli sunt expositio ejus quod dixerat: *Sion in judicio redimetur, et captivitas ejus in justitiâ*. Sed verba hujus versûs nonnulla indigent animadversione. Vocem *schubar*, si tollas puncta, ut sæpè necesse est, et ut verbum accipiatur, optimè veritè *Vulgata conteret; frangere enim seu contere* significat; ut nomen autem, est *fracturâ seu contritio*. Dicit ergo: *Simul cum redemptione Sionis et captivorum ejus erit contritio transgressorum et errantium; et qui deseruerunt Jehova, deficient et de medio tollentur. Justum enim est ut quies detur servis Domini et à tyrannide oppressis; simul etiam et iis qui eos affligunt, ut inquit Paulus, juxta ipsorum merita rependantur*. Simul verò sunt et piorum redemptio et improborum damnatio, ut isti magis torqueantur, illis autem jucundior sit redemptio quòd in tantâ rerum perturbatione securi ac læti permanant. Hoc illud est quòd *arescentibus hominibus præ timore*, etc. Dominus jubet ut sui caput sublevent, quòd in januis sit eorum redemptio. ET PECCATORES. Possumus quoque vocem *kattaim* pro *erratis accipere et peccatis*; ut sit sensus: *Erit, inquit, contritio transgressorum et erratorum simul*, id est, contere transgressores et errata simul, ut mox de idolis dicit. Quoniam autem et *sabar*, si cum sinistro puncto scribatur, quasi contrariâ significatione notat *infractis oculis et animo intueri* (unde et pro *expectare accipitur* ab interpretibus) potest hic subesse sensus, neque contemnedus, et *intuitus transgressorum* (seu spes et fiducia transgressorum) simul cum ipsis suis erratis (vel cum ipsis simul errantibus) ipsi denique *Jehova desertores deficient, cessabunt et absumentur*. Sic *sabar accipitur* Psal. 119 et Psal. 146. Ut videas quantum juvet ex fontibus ipsis haurire S. Bibliorum intelligentiam. Quam verò iis quæ sequuntur hic sensus conveniat, facile lector animadvertet.

VERS. 29. — CONFUNDENTUR. Cùm se nihil auxilij consequutos viderint ab iis in quos, ut in Deum, oculos conjecerant, vel cùm eorum delubra conflagrare viderint, simul cum arboribus quas ordine conserabant ut inter illas se oblectarent in honorem deorum suorum, non poterunt non pudore suffundi. QUIBUS SACRIFICAVERUNT. *Vulgata* verbi significationem non reddidit, sed sensum tantum. Quid enim est *deus appetere, concupiscere* seu *adamare*, nisi illis immolare? nam *קָנַח* propriè est *appetere, expetere, concupiscere*, scilicet ea quæ hominibus jucunda, grata, voluptaria, utilia, pretiosa sunt. Quare semper hoc verbum emphaticum est. *EAUBESCERIS*. Hebræis *kaphar* significat *fodere* seu *infodere*: hinc interdum *explorare et oculis ac animo in rem intendere* significat; quòd hoc sit quedam fossio et rei penetratio, Exod. 1. Hinc etiam *pro profecti*, vel quia qui pudent, abdere se velint; vel quia est quedam animorum exploratio. Sic Job. 6, Psal. 54 et 40, etc. Ecce quoniam pacto defecit spes illorum, de quâ versu

superiore. *SUPER MORTIS* (1). Hebræicè dicitur *gan* à verbo *ganan*, quasi *circummissus septo*: hoc enim differt ab agro seu prato, quòd circumseptus est.

VERS. 30. — CUM FUERINT. *Ki* potest esse temporis, potest quoque esse rationalis particula. *QUENCUS, Alah*, speciem esse querens ferè omnes consentiunt. Ego congruente voce *ilicem* esse credo. Etymologia quoque favet; verbum enim *alah adpurare* significat, *additâ imprecatione mali*; ilicem autem diris imprecationibus devotam antiquis, ne caederetur, nemo est qui nesciat. Gentiles etiam hujusmodi arbores et silvas sacras et *incandâs* dixere; vel sic dicitur ab *expansione et præminentiâ ramorum*. *FOLIIS*. *Aleh* verò *folium dicitur, et supremum in ramis arborum excrescentum*, à verbo quòd *ascendere* significat. *DEFLENTIBUS*. Verbum *nabal*, *humore naturali destitutum esse; emarescere* seu *elanguescere* significat propriè. Sensum expressit *Vulgata*. Certè iste similitudines statum filius reipublicæ satis exprimit, cuius aspectus fuit horridus, à quâ recessit omnis decor atque ornatu; quemadmodum ab illis recedat illosque deserat, justum est, de quibus v. 28 dixerat quòd *deseruerint Jehova*. In quo statû qui fieri posset ut non paderet aliorum deorum cultores, qui ignem in lucis et arboribus quæ in ipsorum honorem fuerant plantate non extinxissent, ac multò minis ipsos cultores suos non servassent? Illi sunt in quibus habuissent fiduciam; surgant, et optulerunt vobis, etc. Hæc omnia in amatores mundi, qui idola colunt, et brachio carnis innituntur, satis aptè conveniunt: quorum finis interitus, ut ultimo versu concludit Isaias.

VERS. 31. — FORTITUDO (2). Hebr. *Kazon*, *illud pro-*

(1) Hortos et lucos intelligit, in quibus colebant idola, et præsertim obscenum Beelphegor. (Menochius.)

(2) FORTITUDO VESTRA, id est, urbes, mœnia, arcès, arma vestra, quæ putatis invicta esse, similiter, et OPES VESTRÆ, nempe pecunia et opes, quas vobis finitias æternas fore, crant et *facilia stappos et scintillas*, quia igni Babilonico, Romano et

CAPUT II.

1. Verbum quod vidit Isaias, filius Amos, super Juda et Jerusalem.

2. Et erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.

3. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob: et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.

4. Et judicabit gentes, et arguet populos multos; et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces: non levabit quis contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.

5. Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini.

6. Projecisti enim populum tuum, domum Jacob: quia repleti sunt ut olim, et augures habuerunt ut Philiistini, et pueri alieni adhaserunt.

sidium notat in quo fiducia collocatur; et pro *umbrâ* videtur accipi Amos. 2: *Ego delei Amorrhæum à facie ipsorum, cuius altitudo erat quasi cedrorum, et protectio (seu umbra) sicut quercum*; et dicitur à verbo *hasan* quòd *recondere* significat: et rarum verbum est Hebræis; tantum enim semel legitur in voce passivâ infra 25; et Chaldeis frequenter. Hoc autem nomine hic vocat idola; quem enim Deum credimus, eundem *protectionem* nostram reputamus. *STRÛPA*. Hebræis dicitur *neareth*, à verbo quòd *excussum esse* significat, quòd è lino excutiat. *Nitsin* nomen geminatum à verbo *nats*, quòd *prorumpere ad volandum* seu *evolare* significat. Notat ergo *erruptionem ignis* vel *flammæ*, etc. Hinc vides peccatores esse sibi metipsis et operibus manuum suarum conflagrationis auctores perditionis auctores. Ob quod in Scripturis *seminatores dicuntur malorum, quodque labores et afflictiones metent*. Ipsi sunt flamma, et incendiarii, et adversus semetipsos flammam excitant temporales et æternas, quæ nemo possit extinguere. Ecce quod v. 28 dixerat, *nempe fiduciam impiorum simul cum ipsis interituras esse*. Infelices, qui dum dulcedine ac blanditiis voluptatum illecti, bona hujus vite jucunda sc voluptaria seu utilia nimis magno studio querunt, ut v. 20 dixit, nihil aliud quam sibi et suis incendium præparant. Detestor igitur deos atque hortos qui sunt ignis fomenta, aut in quos ignis suum vim potest exercere. Hæc itaque est prophetia totius materis, hoc argumentum; nulla enim in toto hoc volumine aliqua insignis est prophetia cuius in hæc primâ concione caput non attingit, adeò ut ultimum verbum hujus capituli cum ultimis libris verbi apertè conveniat: *Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur*. Nulla autem hic in argumento mentio fit vastationum aliorum regionum, quæ in sequentibus commemorantur, quòd tantum in exempla ea adscripserit propheta.

Antichristiano (quando ipse cum suis igne cælesti assumetur) omnia in cineres religam. (Tirinus.)

CHAPITRE II.

1. Vision d'Isaïe, fils d'Amos, touchant Juda et Jérusalem.

2. Dans les derniers temps, la montagne sur laquelle se bâtra la maison du Seigneur, sera fondée sur le haut des monts, et elle s'élèvera au dessus des collines, et toutes les nations y accourront en foule.

3. Et plusieurs peuples y viendront en disant: Allons, montons à la montagne du Seigneur, et à la maison du Dieu de Jacob; il nous enseignera ses voies, et nous marcherons dans ses sentiers, parce que la loi sortira de Sion; et la parole du Seigneur de Jérusalem.

4. Il jugera les nations, et il reprendra plusieurs peuples. Et ils forgeront de leurs épées des socs de charrue, et de leurs lances des faux. Un peuple ne tirera plus l'épée contre un autre peuple, et ils ne s'exerceront plus aux combats.

5. Maison de Jacob, venez, et marchons dans la lumière du Seigneur.

6. Car, Seigneur, vous avez rejeté la maison de Jacob, qui est votre peuple, parce qu'ils ont été remplis d'iniquité comme entretois, et qu'ils ont eu des augures comme les Philistins, et qu'ils se sont attachés à des enfants étrangers.

7. Repleta est terra argento et auro : et non est finis thesaurorum ejus.

8. Et repleta est terra ejus equis : et innumerabiles quadrigæ ejus. Et repleta est terra ejus idolis : opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum.

9. Et incurvavit se homo, et humiliatus est vir : ne ergo dimittas eis.

10. Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo, à facie timoris Domini, et à gloriâ majestatis ejus.

11. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum : exaltabitur autem Dominus solus in die illâ.

12. Quia dies Domini exercitum super omnem superbum, et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur.

13. Et super omnes cedros Libani sublimes et erectas, et super omnes quercus Basan,

14. Et super omnes montes excelsos, et super omnes colles elevatos;

15. Et super omnem turrim excelsam, et super omnem murum munitionum;

16. Et super omnes naves Tharsis, et super omnem quod visu pulchrum est.

17. Et incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum, et elevabitur Dominus solus in die illâ;

18. Et idola penitus conterentur.

19. Et introibunt in speluncas petrarum, et in vagrines terre, à facie formidinis Domini, et à gloriâ majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram.

20. In die illâ projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui, quæ fecerat sibi ut adoraret, talpas et vesperilliones.

21. Et ingredietur scissuras petrarum, et in cavernas saxorum, à facie formidinis Domini, et à gloriâ majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram.

22. Quiescite ergo ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est, quia Excelsus reputatus est ipse.

COMMENTARIUM.

Hanc puto esse primam omnium visionem seu prophetiam, quæ durat usque ad 6 cap. et merito primum locum obtinere. Est enim de Christo Domino omnium prophetarum fine, et de religionis quam ipse instituit et Ecclesiæ ipsius dignitate, de vastatione Israelis ob ingentia eorum crimina, et de sanctis reliquiis quæ salvatæ sunt et replerent totum orbem fide ac cognitione veritatis.

VERS. 2. — PRÆPARATUS (1). In Hebræo bis ponitur

(1) IN NOVISSIMIS DIEBUS. Secundum Hebræos, ubi in prophetis invenitur *in novissimo diebus*, id est tempore Messie est intelligendum. Unde tam Hebræi quam Christiani hoc caput de Christo intelligendum docent, quod scilicet Ecclesiæ Christi ex gentibus in magnam congreganda sit multitudinem, idque prædicatione novæ legis ex Jerusalem procedentis. Crevit ergo Ecclesiæ Christi ex gentibus. Sed per quid crevit? Per doctrinam Christi. Non est ergo frustra externa prædicatione. Sed quis est fructus verbi Christi? Cogitatio peccatorum, consolatio, pax et quies con-

7. Leur terre est remplie d'or et d'argent, et leurs trésors sont infinis.

8. Leur pays est plein de chevaux et leurs chariots sont innombrables, et leur terre est remplie d'idoles. Ils ont adoré l'ouvrage de leurs mains, qu'ils avaient formé de leurs propres doigts.

9. L'homme s'est abaissé profondément, et les premiers d'entre eux se sont humiliés; ne leur pardonnez donc point.

10. Entrez dans la pierre, et cachez-vous dans les ouvertures de la terre, pour vous mettre à couvert de la terreur du Seigneur et de la gloire de sa majesté.

11. Les yeux altiers de l'homme sont humiliés, l'élévation des grands sera abaissée, et le Seigneur seul en ce jour-là sera exalté.

12. Car le jour du Seigneur des armées va éclater sur tous les superbes, sur les hautains, et sur tous les insolens; et ils seront humiliés.

13. Il va éclater sur tous les grands et hauts cèdres du Liban, et sur tous les chênes de Basan;

14. Sur toutes les montagnes hautes, sur toutes les collines éminentes;

15. Sur toutes les tours élevées et sur toutes les murailles fortes;

16. Sur tous les vaisseaux du Tharsis, et sur tout ce qui est beau à voir.

17. Et l'élévation de l'homme sera abaissée; la hauteur des grands sera humiliée; le Seigneur seul paraîtra grand en ce jour-là;

18. Et les idoles seront entièrement réduites en poudre.

19. Les hommes fuiront au fond des cavernes des rochers, et dans les antrès les plus creux de la terre, pour se mettre à couvert de la frayeur du Seigneur, et de la gloire de sa majesté, lorsqu'il s'élèvera pour frapper la terre.

20. En ce jour-là, l'homme rejettera loin de lui les idoles d'argent et les statues d'or qu'il s'était faites pour les adorer, des talpas et des chauves-souris.

21. Et il s'enfuirà dans les ouvertures des pierres, et dans les cavernes des rochers, pour se mettre à couvert de la frayeur du Seigneur, et de la gloire de sa majesté, lorsqu'il s'élèvera pour frapper la terre.

22. Cessez donc d'espérer dans l'homme, dont la vie n'est qu'un soufle, parce que c'est lui qui est le Très-Haut.

verbum substantivum, sicut ego in versione expressi. Sed prius sic accipi potest: *Verbum quod vidit Isaias, etc. Et erit, vel potius est; q. d.: Hoc est verbum quod vidit Isaias, etc., nempe quod in novissimis diebus præparatus (seu firmus) erit mons, etc.* Possunt etiam participium *præparatus*, posthabita distinctione Rabinorum, cum præcedentibus conjungere: *Verbum quod vidit Isaias, etc., et erit in postremis temporibus firmum, seu ratum*; id est, ejus firmitudo atque certitudo postremis temporibus comprobabitur; q. d., non brevi, neque diebus nostris adimplebitur. Quare vertere poteris, et erit in novissimum diem destinatum. Quod autem verbum hoc in hæc significatione dicatur, apparet ex Gen. 41: *Decretum est verbum ab Jehovah, et festinabit Deus facere, etc.* Nulli autem dubium quin nos simus in quos fines seculorum scientiæ. Hæc pulcherrimo ordine describit hic Prophetæ. (Munsterus.)

deverunt. IN VERTICE MONTIUM. Nulla erit religio, nullus cultus, quem religio Jehova dignitate non superet. Cultus Domini, qui in Sione colitur, perficiet ut cætera religiones contemptæ atque abjecta sint, ac perverse et impie appareant, atque etiam ut nihil sic emineat in toto orbe ut Ecclesiæ et domus Dei. Erat autem in montibus frequens cultus, et in excelsis libentibus colabant homines deos suos; fortè quod cultus Dei ab imis abstrahat, neque possint divinis vacare qui terrena non transcendunt. O Judæos cæcos, si unquam futurum expectet ut mons ille Sion ad majorem altitudinem excreseat! Illud autem non prætereundum est, quod cum Ecclesiæ Dei *excelsiorem cunctis montibus* dicat, cum de venientibus ad eum est sermo, verbo utitur *nahar*, quod *affluentiam, et instar fluminis cum celeritate cursum, sive motum spontaneum ac minimè violentum* notat, cujusmodi esse solet in rebus naturæ propensis. Verùm cum flumina non in montes, sed à montibus impetu fluant, satis vel hoc uno verbo significat nobis Spiritus sanctus, quod etiam hominibus juxta carnis naturam ardua videatur christiana perfectio, sui tamen splendore ita animos hominum raperet ut eo impetu ad eam consequendam anhelarent, quo solent flumina in præceps labi. Et, ut ego quidem sentio, nihil est quod religionem nostram magis commendat, neque ejus veritatem sic illustret reddat, quam quod tantam ejus difficultatem et arduitatem tot millia hominum superaverint jam olim, et nunc superare contendunt. Et quidem, si in illa saltè esset difficultas ea credendi quæ humanum captum ac sensum transcendunt, quæ autem ad rationem vite spectant, illa omnia mortalibus permitteret, videlicet quæ caro et sanguis appetunt, nihil omnino mirum mihi foret si infirmi eam amplecterentur, aut *mons supra montes positus* à prophetâ diceretur. Nam semel libertate carnis concessâ, nihil adeo præter rationem credendum proponeretur hominibus quod illi ambabus ulnis amplectendum et totis viribus, si necesse foret, propugnandum non judicarent. Equis enim, obscuro, absurdiora et rationi humanæ magis dissona credenda hominibus proposuit quam Mahumetes? at illa omnia, ut divina oracula, absque ullâ hesitatione verissima esse judicat infinita hominum multitudo, et armis atque vi tuetur, quam, quæso, ob causam? Certè quia carni quæ volebat concessit, et hanc concessionem à Deo profectam prædicavit. Hoc ergo pro miraculo ducitur, et admiratione ac stupore dignissimum est, quod cum christiana Religio *mons excelsus* appareat, non solum dum invisibilia et supra humanum captum credenda mysteria hominibus proponit, qui sensu omnia dijudicare consueverunt, verùm etiam dum austeræ vite rationem imperat, et contendere per angustam portam, ac crucem humeris per totam vitam ferre suadet hominibus ex carne prognatis et in libertate carnis plures annos versatis, tot tamen virorum millia, tot femine, tot pueri, tot senes, nullâ itineris asperitate, nullis consensibus difficultate deterriti, et animi contentione, propensione et impetu montem

scandere aggressi sunt quo à montibus flumina ad ima loca proferre et imas valles complere consueverit. O montem planum! ô vias Domini pulchras! ô jugum suave et onus leve!

VERS. 3. — Imperativum *venite accipiendum* puto ut dixi v. 18 superioris capitis: utuntur enim hujusmodi imperativis sicut Græci ad exhortandum et excitandum, ut etiam Latini *ades et adeste*. Et *DOCEBIT, seu instituet*. Potest sic accipi, ut *instituat nos, etc.*; quasi hic sit euntium præcipuus scopus et finis, ut erudiantur, atque eruditi ambulent in viis ipsius. Ad hoc enim erudit Dominus ut simus sectatores honorum operum. QUIA DE SION (1). Puto futurum *exibit* in præsens convertendum, si euntium sit sermo, etc. Sive hæc accipiantur ut verba prophetæ, sive ut verba eorum qui sese mutuo adhortantur ad consequendum montem, rationem continent quare eundem sit. Nihil mirum quod ad hunc montem confluent populi. Nam non aliunde promanat salutaris doctrina, neque verbum salutis, quam ab Sione. Non jam ad montem Sinai aut Horeb properandum. *Littera enim occidit, at Spiritus vivificat*, qui datus est in monte Sion paucis illis Israelitis ut compleant orbem divino semine. Quoniam gentium justitias proferre debeant homines quibus eruditione multâ est opus, quam ubi intellexerint esse verbum Domini et institutionem Jehovæ? Tantùm enim illi quo ipse erudierit, beati esse possunt. Ad domum ergo Dei meritò confluent. Verùm ne carnales Judæi putarent de monte illo et templo illo loqui prophetam, non dixit quod ibi esset verbum Domini, sed quod inde flueret et egrediretur, ut quisquis verbum Evangelii perceperit, licet sit apud Garamantas et Indos, is conscendisse montem Domini judicandus sit.

VERS. 4. — JUDICABIT GENTES (2). Hebr., *inter gentes judicabit*, id est, jus dicit. Jehova ipse verbo suo evangelico lites dirimet, controversias componet, ob quas belligerabant inter sese gentes. Et quando opus fuerit alterutros increpare, ut ad pacem redeant et amicitiam colant, liberè id per ministros sui verbi efficiet. Non solum enim privatas personas pacem colere compellet verbum Evangelii, sed etiam magni ponderis controversias et inveterata quarundam nationum odia delebit. Nihil enim mansuetæ barbaras nationes, et humanitatem inducere effertis gentibus, easque ex feritate ad justitiam, ex cedibus et rapinis ad mansuetudinem atque mutuam amicitiam traducere unquam potuisset, nisi verbum et instituto Jehovæ. Notanda ergo hoc loco est vis verbi, et quod ejus primum munus sit charitatem et pacem animis

(1) EXIBIT LEX. Hæc sunt verba prophetæ, non populorum, quasi dicat: Cur dicent gentes: *Agite, ascendamus?* quia de Sione exhibit lex et præceptum omnibus populis; docens verò erit rex Messias, de quo vers. seq. (Kilmich.)

(2) JUDICABIT (inter) GENTES, id est, dissidia earum componet, easque ad pacem adducet, scilicet judex. Eum Kilmich regem Messiam futurum existimat. Alij Jovam, quibus lavet locum infra 31, 50, ubi Jova suis brachiis populos judicaturum promittit.

(Rosenmuller.)

suadere. Ad quod facti quod sequitur, de contunden-
dis bellicis instrumentis, ut ex eis fiant que agricul-
tura; qua pace gaudet et odit bellum; necessaria
sunt. Sicut enim apud Virgilium Æneid. 7, de prepara-
tione ad bellum dicitur:

*Vomeris hinc et falcis honos, hic omnis aratri
Cessit amor: recoquent patrios fornacibus enses.*

Sic cum pacis studium significaret propheta, dicit
quod gladius in vomeres, et lanceas in falculas con-
verterent (1), qui Christo Domino consequerentur. His
enim tropis, id est, verborum immutationibus, hoc
tantum significare vult propheta, quod quantum ex
Evangelio est, qui predicaverint, et qui Evangelio
obedierint, pacis erunt cultores, ut qui di-
dicerint civibus bona omnia externa ipsamque vitam
quam charitatem amittere (2). Et arguit Isaac in
tertiâ, etsi interdum de eâ castigatione dicatur que
fit virgâ et flagello adhibito, tamen frequentius dicitur
de eâ que solis verbis fit, non etiam verberibus. Est
et peculiaris acceptio hujus verbi, Gen. 24: *Hanc
correxisti servo tuo Isaac*, id est, castigasti, erudisti
tanquam puerum; et mox: *Ille sit matris quam cor-
rexisti Jehova*, etc., quam ut pedagogus effinxit, insti-
tuit et informati. Quam significationem seu modum
significandi libenter hic amplector, licet similis non sit
constructio. Similem autem constructionem hujus verbi
cum *lamed* habes infra, cap. 41: *Arguet in rectitudine pro
oppressis terra; vel, correctionem adhibebit mansuetis
terre*. Atque sic etiam hic accipi potest, etiam si non sit
ealem constructio que predicto Genesis loco. *VOMERES*,
Hebr. *itim*, à verbo *ata*, id est, *venit*, instrumentum
ferreum ad proscindendam terram atque sulcandam,
ab *endo* et *redendo* dictum. At vox *canthi*, id est, *hasta*,
hastile, est à *canah* quod verbum est castrense, et
significat *sensim se collocare et castrametari, quies-
cendi gratiâ residere*; et proprie dicitur de exercitu.
Maseroth sunt *falculæ*, et quales sunt quibus utuntur
in putandis vineis et arboribus, à *zamar* verbo, quod
putare rapim seu *incidere* significat. *Lamad* in primâ
est *exercendo discere*. Verbum quoque *nasa* proprie
significat quod nos bis duobus verbis exprimitur,
toltere et sublevare. Et quod Hebræis est *levare gla-*

(1) CONFLABUNT GLADIOS. Obijciunt Judæi perpetuò
hunc locum Christianis, quando tempore Christi
nostri impletus fuerit, præsertim cum post adventum
Christi nostri plura et majora bella in mundo fuerint
quam antea. Sed horum obijctio facili confutatur per
id quod propheta dicit, *docetis non de viis suis*. Ideò
qui docet fuerint à Christo, illi non belligerabunt,
neq; dicent ultra prælium, præsertim in re sua et
privatâ, cum et *pullum auferenti tunican parati
sint tradere, et obverte mazillam dextram percu-
tienti sinistram*. Ergo qui per verbum Domini con-
verserint et ex toto corde compuncti, illi *conflabunt
gladios suos in vomeres*; tantum abest ut arma
sumant. Gestat tamen nihilominus magistratus gla-
dius, sed ad defensionem eorum qui ab iniquis oppri-
muntur. (Moserus.)

(2) Quod si inter duos populos his incidit, rem
deferent ad regem Messiam, qui erit omnium popu-
lorum dominus, isque licet inter utrumque dirim-
et; quare bella studique militaria plane cessa-
bunt. (Kimchi.)

dium, Latinis est *stringere gladium*; aliquando est
capere, ut cum de ducendâ uxore sermo est. In hac
significatione hic potest etiam accipi, *non capiet en-
sem, ut Latini arma capere dicant*.

VERS. 5. — *DOMUS JACOB*, etc. Sunt qui has voces
prophetæ esse dicant. Possunt autem esse eorum qui
ex gentibus in Christum crediderunt, qui dolent quòd
Judæi nolint communem cum ipsis Deum et cultum
habere, quòdque exciderint neque rursum inseri ve-
rint. Neque enim sibi persuadere quòd, derelicto
populo circumciso, Jehova Deus eorum ad incircum-
cisos transierit. Cupientes ergo eos, seu potius re-
nuentes et renitentes, ex gentibus conversi excitant:
*Domus seu posterî Jacob, adeste, ac vobis noticum lu-
cem hanc*, que sese terris diffundit, *sequamur* (1).
Est *lux Jehova Dei vestri*, quem hactenus coluistis:
*Ambulate dim lucem habetis, ne vos tenebræ compre-
hendant*. Credite nobiscum in lucem, ut filii lucis si-
mus omnes. Prodit lux hæc à monte versu Sion; ex
domo Jacob sidus hoc juxta Balaam prophetam or-
tum est. Quem dicunt vester Moses et propheta, in-
venimus Messiam. Est autem or verbum Hebræum
Græcis *ora* consentiente voce, id est, *illucescere*.

VERS. 6. — *PROIECISTI ENIM POPULUM*, etc. (2).
q. d.: *Nemo miretur quòd gentes, que ignorabant
Deum, Judæos, quibus solis notus erat Deus, ad agni-
tionem veri luminis adhortationibus pertrahant;*
quandoquidem tu, ô Jehova, populum tuum dimi-
sisti. Verbum enim *natasch* significat *rem aut personam
quam aliquâ lege vel loco, etc., astricte erat, liberè
dimittere*; et tam in bonum quam in malum accipitur.
Vocat autem Scriptura à *Domino relinquit*, omnimo-
dam miseriam; cui opponit esse *Deum cum quoquam*.

(1) Phrasi, *ambulen in lumine Domini*, allud:
ad ritum celebrandi solemnia festi tabernaculorum,
cum transito primo festi die, appropinquante nocte,
accingere se solent ad lætitiâ *effusivis aquæ*,
in qua solemnitate toti accendebantur lampades,
in eo loco, unde hauriebantur aquæ, ut non esset
totis Hierosolymis platea ulla, que non coruscaret
ex istâ illustratione, adeo ut omnes urbis incolæ in eâ
luce ambularet, festique gaudio frui possent, con-
jectura est Deylingii, *Observat. Sacr. part. 2, p. 290*
(conf. Petr. Zornii *Biblioth. antiquar. et excerpt.*
p. 869 seqq., not.), docta quidem, sed quam dubio
veram esse.

(2) *Proiecit* proprium est verbum, quod adhiberi solet
de Deo, populum aliquem ob ejus scelera repudiante
quasi, adeoque omnimodâ miserâ cum cumulate.
Vid. Jud. 6, 14; 2 Reg. 21, 14; Jerem. 7, 29, 25,
33, oppos. *Jam esse cum antiquo*; 1 Reg. 8, 57. Non
igitur erat, cur H. E. G. Paulus in *Memorabil. pasc.*
p. 95, verbo *פָּרַט*, *contemplatus* est, tribuens si-
gnificationem, nostra verba interpretaretur: *Quando
tu, populum tuum contempnisti*; sententia jejuna et
parum concinna. Pluribus illam interpretationem re-
fellit; illustratis simul aliis locis, quibus verbum
פָּרַט occurrit, A. J. Arnoldi, in *Observat.* supra ad
1, 8 laudat. p. 19 seqq. Neque que Arnoldo repositus
Paulus ad suam interpretationem vindicandam in *dem
Newem theol. Journal* anni 1796, p. 262 seqq., nos
et assentiantur, persuadent. In eandem, quam
Paulus protulit, opinionem invidit C. Gui. Moessler,
in *Dissertat.*, cui epigraphæ: *Noce locorum nonnullorum
Isaia explicata difficiliorum interpretationis peri-
culum*. Viteberg. 1808, in-4°. (Rosenmuller.)

Ad salutationem Angeli: *Domine tecum*, respondit
Angeli: *Si Dominus nobiscum, quare invenit nos to-
tum istud? et ubi sunt mirabilia, etc.?* Jud. 6; *At nunc
dimisit nos Dominus, etc.* QUIA REPLETI, etc. (1). Cau-
sas aperit hujus derelictionis, et initio collocat quòd
pleni essent, et observarent astra, aut more gentium
ares aut intestina animalium, ut futura conjectarent.
Però omnes interpretes hanc plenitudinem referunt
ad idololatriam, vel magiam, etc. Quorum interpre-
tationem non damno, sed non video cur verbum *male*,
præsertim absolute positum, ad *divitias* et *copiam*
atque *abundantiam* verum non referatur. *Orientalis*
autem *divitiis* in proverbio sunt. Summum porrò ne-
fas erat, quòd cum bonis temporalibus abundarent,
ut Orientalibus populis non solum conferri, sed et
præferri possent, impietatem idololatriæ et augurio-
rum cum opulentia conjungerent. Nam quòd inferior-
es artes illis sectentur, ut possint quoquo modo ven-
trem implere, et mendaciis ac inanibus promissioni-
bus alios deludendo aliquid in suos usus derivare,
non adeò mirandum foret; at sagnitas ac dilatatis et
beneficio Domini opulenti, id certè turpissimum.
Hinc autem sensum qui proximis versibus sequuntur
confirmat. AUGURES. Originem vocis *onenim* video ple-
rosque ignorare etiam ex Rabbiniis. Scito ergo ad nomi-
ne *ain*, id est, *oculus observavit*: unde participium *on*
1 Sam. 18, id est, *oculis observans*. In secundâ au-
tem conjugatione *onen*, *oculis observavit*, et. intendit
significationem, Num. 26, et 2 Reg. 21. Hinc partici-
pium *meonem*, qui *observat horas, dies, menses, annos
et tempora negotiis agendis idonea*; de quibus Paulus
Gal. 4, Deut. 18; in sing., plur. autem Deut. 15, et
Mach. 7: *Observatores non erunt tibi*. Ab hac quoque
conjugatione manat nomen *onen*, quod hic habemus,
et in plurali *observatores* dicere possumus de quibus

(1) Syrus: *Quoniam repleti sunt ut antea; Chal-
deus: Quia repleti est terra vestra idolis ut ab initio;*
Saadias: *Populus vester indesinenter quarit viam
temporis prioris*. Videtur de illo tempore cogitasse,
quo prisci Palestina incolæ, Cananæi, idolorum cul-
tores, terram tenebant. Eandem non dubio Hiero-
nymus sententiam fuisse, cuius hæc sunt verba:
*Redditque causas, quare projecti Deus populum
esum domum Jacob, quia repleti sunt*; inquit, *ut
fuerant in principio, auguribus, et somniis, cunctis-
que sordibus idololatriæ*. Viringia verit: *Repleti
sunt spiritu divinatorio magis quam orientales*. Scilicet
qui inter gentes exercebant divinationem, præ se fe-
rebant, se obsideri à demone, eoque repletos esse;
id verò indicari existimat verbo *פָּרַט*, quasi voce te-
chneicâ, quâ prophete etiam Israelitici uterentur; cum
dicerent se Jovæ spiritu impleri (שָׁרִיט), e. g. Mich.
3, 8; conf. Job. 52, 18. Quam interpretationem se-
quitur et Dabhius, qui verit: *Artem divinandî magis
faciant, quam Syri*. Verum nullo alio loco *פָּרַט*, sim-
plicitate positum, eam quam et Viringia adscribit, signi-
ficatum obtinet. Livov. ne Dixit verbum *פָּרַט* hic
sumendum censet *haurienti* notione quâ in novi Te-
stamentum conversione Syriaci et in Targumim sæpè oc-
currit, pro Hebr. *פָּרַט*; hinc verit: *Quia haurerent
ex Oriente*, scilicet præstigias, artes magicas, etc.
Minimè tamen credibile, verbum *פָּרַט* hoc solo loco
aliâ significatione usurpari quam eâ quâ centies in ve-
teri Testamento occurrit. (Rosenmuller.)

etiam Jer. 27: *Et vos ne audiat observatores vestros*.
Et femininum habes infra, 37. Ex eo autem Deuterono-
mii loco habes quam deditur ad devincit fillum tiri po-
puli auguribus et hujusmodi observationibus. In his
verò que sequuntur magna est varietas; at sensus
mox patebit si singularum vocum significationes pro-
prias attenderimus. Et quidem nomen *ieled natum*
significare indicant infiniti loci, à verbo *ielad*, id est,
gemit. *Pueros ergo vel natos* hic dicere possumus, si-
cut Osee 1, *pueros (vel natos) fornicationum* dixit Pro-
pheta. At *neker* Hebræis est idem quod Latinis *nothus*
Et sicut Latinis differunt *notus* et *nothus*, ita Hebræis
neker et *makar* ab eodem verbo, quod in primâ signifi-
cat *agnosci*, et secundâ, quasi significatione contrariâ,
occultare seu celare, ne appareat aut exstet, etc. Si-
cut ergo *makar* significat *notum* aliquid, qui sci-
licet est unius et ejusdem seminis, generis, nationis,
religionis, eorundemque legum; itâ è contrario
neker nothum, id est, rem aut personam que non
est ejusdem seminis, etc., sed illegitima, aliena, ex-
tranea à proprietate et veritate. Verbum autem *saph-
ach, satisfacere seu sufficere* significat. Potest ergo
hic esse *sensus, et in filiis notis satisfaciunt*, id est,
nothus gignunt sufficienter, id est, satis multos; quasi
notet Propheta modeste multitudinem adulteriorum
filiorum, imò adulteriorum frequentiam, hæc periphrasi.
Possunt et verba intelligi quòd *alienigenas duce-
rent uxores*; nam qui ex illis gignebantur, filii *nothem*
dici poterant. Sed et cum usitatissimum sit in Scri-
pturis *filios* dici discipulos; neque enim *filii propheta-
rum* erant, nisi discipuli Prophetarum, quos ipsi in
verâ Scripturâ intelligentiâ et verâ ac germanâ religio-
ne instituebant; non erit absurdum dicere hic
taxari Judæos quod augures et divinos alerent, esse-
sentque ex eis qui magiæ, necromantiæ et cæteris
damnatis artibus dediti essent; insuper et hujusmodi
discipulis satis multos discipulos instruere. Quòd
si *nothem* pro *diis alienis* accipias, ut interdum solet
usurpare Hebraismus, hoc fortassè notat Propheta,
quòd in *genealogiis deorum satis instructi essent seu
sufficienter instituti*. Et hic sensus est planus et insti-
tuto satis accommodatus. Si autem *isaphichu* accipia-
mus ut nos cum dicimus, *mihî satisfaci*, seu *complac-
eo, et congratulor mihî* (nam cognationem habet cum
verbo *saphach*, quòd *plaudere manibus* seu *complodere
manus* significat, licet plerumque in malum) ita com-
modè reddi posset verbum Hebræum: *Et in filiis no-
this (sive spuris) sibi acquiescent, satisfaciunt, placeunt;*
seu *vehementer amant procreare, seu, habere filios
adulterinos*.

VERS. 7. — *Eccè explicat quòd dixerat, impletos
esse, et opulentiores Oriente*. Nomen *eretis*, quod *ter-
ram* in genere significat, est à verbo *ruts*, id est,
occurrit, accurrit, etc. Et notat simul *inclinationem,
procurritudinem, propensionem*, etc., quòd sit in-
firma omnium elementorum, et eamque tendant
et inclinentur gravia, vel quòd cursus aliorum ele-
mentorum sit circa illam. *Aurum autem dicitur za-
hab*, à colore fulvo seu flavo; unde et ad *oleum*

significandum transferunt, Zach. 4. *Otsar* tam de ipso reconditorio, *thebâ*, *apotheca*, *pena*, etc., quam de re ipsâ repositâ dicitur, à verbo quod *recondere* significat, seu *recludere*. Per *equos* autem et *curras* seu *quadrigas* omnem bellicum apparatus intelligit et robur exercitû. *Thesaurus* prout nominavi, qui sunt nervi belli. Hoc ergo versus ea complexus est quæ ad temporalem reipublicæ felicitatem ac dignitatem faciunt, ut cum subinferret illos cultores esse falsorum deorum, indignitatem rei magis amplificaret. Nam nonnulli populi ab aliis subjugati Deos victores colere coacti sunt, vel vi, vel metu, vel religione ducti, cum illos potentiores Deos crederent qui cultoribus suis in bello favissent. At Israelitas nulla necessitas, nulla vis induxit ut idola colerent, siquidem abundabant omni genere bonorum; terra plena erat argento et auro; exercitum ad propulsandas finitimorum injurias, aut etiam propagandum imperium, dandasque aliis leges, ad manum comparare et in dies multos alere poterant. Nihilominus

VERS. 8. — REPLETA EST TERRA IDOLIS. Habet itaque conjunctio illa magnam vim, et repleta est terra, etc. Sicut dixerat repletam auro et argento, equis et quadrigis, ut quàm bellè responderint divino muneri et Dei sui beneficentiæ significaret, dixit etiam terram idolis plenam: quod aliâ figurâ Jeremias dixerat, nullam esse arborem frondosam sub quâ meretrix illa non prosterneretur. Animi ergo auditorum relinquunt ut hæc duo conferant, videantque quomodo intolerabilis impietas sit, terram divinis beneficiis plenam, pro innumeris beneficiis, innumerabilibus idolis repleri. Cæterum *idolum*, *hehil*, quidam à *vanitate*, aliî à *stultitiâ* dictum volunt. Mihi videtur quòd à nomine *el vel elohim* propheta quâdam paronomasiâ fecerunt *elilim*, quòd nomine et similitudine cultus vel potius superstitione referat quidem verum Deum, non tamen sit Deus, sed sit, q. d., *lo elohim*, non Deus, umbra Dei, neque ullam potentiam habeat, seu consolationem seu opem ferre possit, q. d., *inops*. Job. 15: *Medicî idoli universi vos*, id est, sine ope. Sicut enim, ut Paulus ait, *idolum nihil est*, ita cultus idoli nihil est: unde et dicitur *superstitio*, id est, *cultus falsi*, quemadmodum definivit nobis Lactantius Firmianus in lib. Div. Inst. Pro simplici verbo et irregulari *hischetakavi* posui nomen et verbum, ut vim verbi exprimerem, ut à doctissimo præceptore meo Caninio accepi: uno autem verbo *supplicandi* dicere possemus; quo verbo usus est Suetonius in Cesare Augusto. Hoc interpres Matthæi videtur reddidisse duobus etiam vocibus cap. 4: *Si prostratus adoraveris me*; et 15: *Procidens adorabat eum*, etc.

VERS. 9. — Quando hæc duo nomina *Adam*, *homo*, et *isch*, *vir*, conjunguntur, plerumque cujuscumque conditionis homines significant, q. d., *plebeus et nobilis*. Usitatissima est emphasis prophetis verborum parcissimis, etiam in communibus et tritis vocibus; quamvis et nomen *isch* aliqui suam emphasim ha-

beat, sicut Latinis *vir à virtute*. Placet autem eorum sententia qui hoc nomen à verbo suo nomine *W* deducunt, id est, *existentiâ*, eò quòd vir prior sit virissî, atque etate, auctoritate, dignitate, gloriâ, præstantiâ et existimatione non tantum feminino generi, verum etiam vel juvenibus vel plebeis hominibus præstat et anteponitur, etc. Habet quoque et *Adam* interdum emphasim. Perinde ergo est ac si dicat: *Homo*, quem Deus ad imaginem suam fecit, ille qui cæteris animalibus ratione supereminet, qui Deum agnoscit, etc.; *homo*, inquam quem rectum Deus formavit, et erectos ad sidera tollere vultus jussit; *vir* quoque, qui inter cæteros homines excellunt, etc., *incursantur*, *prosterantur*, *humiliantur*, et *supplicant illis simulacris quæ manibus et digitis suis formant et effingunt*. Sed quid ad hujusmodi indignitatem propheta? *val* *thisa* *lahem*. Non malè Vulg. conjunctionem et in ergo convertit: *Ne ergo condones illis*. Inter modos enim significandi quibus abundat verbum *nasa*, hic frequens est Hebræis; ut idem valeat quod tollere Latinis, *onus scilicet vel pondus peccati*, remittere, condonare, etc. Ita accipiendum est illud Gen. 4: *Nome si bene egeris, sublevari?* Et Psal. 52: *Beatus ille cui levata est transgressio*, id est, condonata; vel sic; *exonerata transgressio*, etc. Commotus ergo propheta sancto zelo, et unus spiritus cum Deo factus hæc addidit. Sicut autem extulit indignitatem rei per conjunctiones, quæ res maxime separatas copulabant: *Et repleti sunt argento et auro, et repleti sunt equis et quadrigis, et repleti sunt idolis*; ita mimis quâdam et imitatione elegantissimâ peccata ipsorum cum indignatione divinâ simili coniectione connectere voluit, dicens: *Et incuratur homo, et humiliatur vir, et non remittit illis*. Illi beneficia tua impietate compensant; tu impietatem ipsorum severitate; quod multo æquius est.

VERS. 10. — INSCREDERE IN PETRAM, ET ABSCONDERE, etc. Si peccata non condonentur, inanis est ira Dei. Loquitur ergo Propheta ac si jam imminere videret peccatoribus perditionem. Ad hunc locum et alios similes est allusio in Evangelio, cum dicitur: *Qui in Judæa sunt, fugiant ad montes, et: Dicent montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos; pavor enim latebrarum optare ac petere facit. Petram* autem sæpè Hebræi montes et rupes vocant à verbo *zor*, quòd conclusionem, coarctationem, constrictionem seu obsidionem significat. At *aphar* propriè partem illam terræ levioris significat, quam Latini *pulverem* dicunt. Sed Vulg. rectè vertit, à *facie pavoris Domini*, id est, à facie Domini pavorem incutientis splendore ac majestate suâ. Et huc respicit Evangelista, quando dicit *Domini venturam cum potestate magnâ et majestate*. *Gaon* propriè est *superbia*, à verbo *gaah*, id est, *superbiuit*; et tam de Deo quàm de hominibus dicitur.

VERS. 11. — Omnia verba hæc per præteritum reddenda, sed pro futuris (quod Prophetis est familiare) accipienda existimo. Ad verbum sic habet He-

braismus: *Oculi elationis hominis humilitas est*, id est, quisque qui sublimis habet oculos humiliatus est. Hæc est vis Hebraismi: sensum expressit Vulg.: *Oculi sublimis hominis humiliati sunt*. Nam sicut homo modestus et humilis frequenter oculos demittit, ita contra immodestus et superbus frequenter oculos elevare solet atque defigere. Considera quàm justus Dominus! Illi superbiâ et fastu turgescant et efflebantur; volentes tamen sese curvabant et humiliabant coram idolis quæ fecerant. Porrò non benè convenit superbiæ humanæ cum adoratione et prostratione coram inanibus simulacris. Deserant igitur superbiam, obliviscantur fastus; omnia occupet humilitas; relinquunt Deo soli celsitudinem atque magnificentiam et gloriam; perdurent illi toti in suâ humilitate: *Sublimis oculi hominum humiliabuntur, et elatio virorum deprimitur*, non à reverentiâ idolorum, sed à pavore illius excelsi et decori Dei qui solus habet celsitudinem, imperium et gloriam, qui solus homini metuendus, ipse sit terror vester, ipse sit pavor vester, ut habet Scriptura.

VERS. 12. — Jam explicat quare fugiendum sit: *Adest enim dies Jehova*, vel potius: *Est enim hic dies ipsi Jehova*, id est, quem ille delegit ac destinavit adversus impios. Inter cæteras autem acceptiones nominis *iom*, *dies*, non infrequens est hæc, scilicet pro *revelatione rerum, inspectione et judicio*: ut Prov. 12: *Statui in die cognosceret iræ ejus*, id est, tempore quo omnia conspiciunt. Sic Paulus 1 Cor. 5: *Dies enim declarabit*, etc.; et 4: *Ab humano die*; et 5: *In die Domini Jesu*; et ad Phil. 2. SCÆP. Al pro contra accipere possumus et pro *super*. Vocem *schaphel* ut nomen accipiendam putavi. Nam qui ut verbum accipiunt, et humiliabitur, præter hoc quòd intempestivè pœnam intelligi volunt de quâ paulò post, non animadverterunt supra v. 9, dictam fuisse quòd *homines et viri idolis inanibus prostrarentur et humiliarentur*, cum tamen *superbi* forent, ut v. 11, significavit. De hæc ergo humilitate est sermo, diemque *Domini* imminere dicit *contra superbos* illos qui coram idolis humiles sunt.

VERS. 15. — Nominibus autem quæ sequuntur, quorum ferè proverbialis usus est Hebræis, metaphorice fastuosos, superbos, viribus suis ac divitiis confidentes, mundo, gloriâ atque dignitate spectabiles, intelligit. Proceræ enim erant *cedri Libani* plus quàm abietes; et *quercus Basan* in proverbio erant: quæ arbores radices agunt neque facile convelluntur, neque lignum hoc ita facile incidenti cedit. *Montes* quoque ac *colles* firmitudinem, constantiam ac superbiam notant. Quid de *turribus, muris*, ac *propugnaculis* dicam? His addit *naves Tharsis*, quæ quoque in proverbio erant, ut apud nos Lusitanos *naves Indicæ*, quòd majores et maris tempestatibus sufferendis aptiores reliquis essent. Denique neque *torreumata* prætermittit *quæ sunt ingeniosè facta, quæ appeti solent vel pulchritudinem*: nos Lusitani curiositates communi vocabulo appellamus. Adversus ergo nobiles, divites in deliciis vitam ducentes, et bono-

rum hujus vite possessores ac dominos *diem Domini imminere* affirmat Propheta: isti enim cum Deo bellum gerere videntur, aut de Deo parum curant. Cæterum quod ad vocum proprietatem attinet, Hebræis *cedri*, *arezim*, dicuntur à *gracilitate et proceritate*: arbitrari enim deduci hoc nomen à verbo *rasah*, id est, *attenuare*. *Libanus* autem à *turè* sic dicitur videtur, quod Hebræis dicitur *lebanah*.

VERS. 14. — Hebræis *mons harar*; et dictum credo à *festinantia*, quasi festinus deorsum feratur, atque etiam flumina et fontes deorsum præcipiet; habetque cognationem cum verbo *nahar*. Hæc idè dixi ut videas elegantem paronomasiam in 2 vers. hujus capituli: *Erit nar in capite montium et nar*.

VERS. 15. — TURAM. *Migedal*, à verbo quòd *magnum esse significat*, Hebræis est *turris*, quæ antiquitus erat instar arcis. Gen. 11: *Edificaverunt enim civitatem et turrim*, etc. *Murum* autem vocant *komah*, à verbo *kamam*, quòd *astutare* significat, quòd ex coactibus adificaretur. Quid verbum *32* propriè significet, ignorat Rabbini, qui suo more novam significationem verbo tribuunt prout locus illis exigere videtur. Et quidam ex nostris duas significationes nominis sibi contrarias assignant, ut pleraque verba Hebræa habent; ac collatis Scripturæ testimoniis tantum dicitur de *collectione fructuum et vvarum*, et de *civitatibus*, quæ muris includuntur ut uræ in cophino, etc. Dicitur etiam Hebræis de ipsis *muris*, qui sedes civitatum cingunt, coarctant et veluti collectas habent.

VERS. 16. — Ubi gentium sit *Tharsis* (præter enim Tharsum Ciliciæ in mari Orientali altera ex Scripturis necessario ponenda videtur) infra diffusius disputabimus; satis nunc sit, quòd sic dicerentur *naves magnæ*, longis navigationibus aptæ. In proverbio fuisse indicat præter alios locus Ps.: *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*. *Schevi* Hebræis est *cogitatio*, è verbo quod non est in usu; *sakah* cognationem tamen habet cum verbo *sakah*, id est, *celavit*: hinc *sekiath*, nomen plurale tantum et *ingeniosè facta* significat, quæ Graeci *τροπικατα* vocant; unde etiam *masekith*, quòd et *cogitationem et ingeniosum opus* significat. *Torreumata* autem *desiderii*, id est, *desiderabilia*, dixit Vulg., *omne quòd visu pulchrum est*, paraphrastice sensum explicans. Igitur tam adversus ea quæ naturâ magna et pretiosa sunt, quàm quæ arte fabricata erant, id est, adversus homines isthæc amantes, et factorem Deum et omnium bonorum largitorem ignorantes, imò et contemnentes, et de ipsis beneficiis contra Dominum tuentes, imminere diem et iudicium *Jehova* clamat propheta. Horum consideratio contemptum mundi posset hominum mentibus inducere, et eos in officio continere, ne cum hoc mundo damnarentur. Ne autem adversus creaturas, quæ culpâ carent, intelligeres iratum Deum, audi:

VERS. 17, 18. — ET INCURVABITUR, etc. Bis terque eadem repetit, quòd videat oscitantium auditorum et

in re tanti momenti desidiam et torporem et ut nemo sit qui dubitare audeat de his quae dicuntur. Verbum *calaph* proprie *mutationem* significat, generaliter vel loci, vel temporis, conditionis seu qualitatis, sive in bonum, sive in malum; unde Ps. 90: *Mans tanquam forum quod mutabitur: mans floret, et mutabitur.* Sic Paulus 1 Cor. 7 dixit *praeferre habitum mundi.* Vide infra 21, 5, et cap. 24. Quod si puncta auferas, *calil*, quod alioquin integra dicitio esse putatur, et *totum* seu *provisia* significare, poterit esse dicitio composita ex *calph* notâ similitudinis, et *lil*, *nox*, id est, *sicut nox*; quod *idola sicut nox*; quae immutatur et in diem transit, *immutabuntur.* Et hic sensus planus est; quem eo libentius amplector quod videam vix unquam nomen *calil* sic accipi ut hoc loco interpretes accipiant. Quod si illa etymologia placeat, ut *elilim* sit dicitio composita ex *el* nomine divino, et *lil*, *nox*, pulcherrima erit allusio, videlicet, *dii noctium*, vel *tenebrarum instar noctis tenebrosi erunt*; ab igne scilicet omnia vastante vel spatio unius noctis evanescent: vel *sic quasi in nocte*, id est, in tenebris et squalore, jacebunt inflores et sine cultu, nimirum pereuntibus cultoribus et in rerum naturâ minime existentibus. Quemadmodum enim verus Deus dicitur *Deus lucis*, quippe qui *lucem habitat inaccessibilem*, ita è contrario *idola* rectè dicentur *dii tenebrarum.*

VERS. 19. — *At arah* in secundâ *evacuare* seu *nuocere* significat: hinc *mearah*, *caverna spelunca*, *locus demudatus*, id est, *evacuatus.* *Kalal* autem, ut supra dixi, à quo *mekiloth*, proprie *vim pati* seu *profanari* significat, idèque et nomen *hiatus* seu *aperitiones terrae* notat, quod illis pateant ejus viscera et interiora. Et ad hujusmodi specus tempore belli refugium erat.

VERS. 20. — *ABICIET HOMO IDOLA ARGENTI SUI*, etc. Non amore, inquit, auri et argenti, non religione tenebuntur. Metus enim illius judicis etiam quae charissima erunt faciet negligi atque contemni. Et hic est pretiosissimarum rerum exitus. Meminit verò *talparam* et *vespertilionum*, quorum animalium imagines ipsi colebant, ut quam similes illis fiant cultores ostendat; dicebat enim quod *festini aditus essent latebras et cavernas*; at quis ignorat animalia illa lucis esse inimica? et talpae quidem sub terrâ latent, vespertiones autem in antris seu speluncis libenter commorantur. Hinc facit quoque etymon nominis *talparam*, quae Hebraeis dicuntur nomine geminato (sic enim conjunctum legendum est) *kapharephereth*, quod terram magnâ curâ, totis viribus et quam cunctissime possint, ut sese oculis hominum subducant, fodere soleant. At nomen *vespertilionum*, *atalephim*, à verbo *ataph*, insertâ litterâ *lamed*, quod *obtegi*, *operiri* seu *obru* significat, deducitur, quod in obscuro volitant. Ecce similes *talpis* et *vespertilionibus* homines factos, deosque ipsos pejoris conditionis ipsis animalibus et cultoribus suis, quod ad cavernas et latebras nequeant confugere. Illud autem *lamed* versûs sequentis,

VERS. 21. — *AD INCREDIENDEM*, significat quod, ne sint inpedimento sese in antra proripiantibus, illa abiciant, ut scilicet expeditis fugiant. Vide, quæso, ò lector, quoniam pacto ea studia quae invenerunt nobis mala ac calamitates, illa, inquam, ipsa sint impedimento ne ab ipsis malis nos expedire possimus. Porrò non rarò contingit ut, dum quid factu opus sit nobiscum pensamus, et intra nosmetipsos consultamus, relinquerent ea an retinere debeamus (relinquere enim ea non sinit amor et inveterata consuetudo, retinere autem metus advenientis Judicis vetat), *veniat Sponsus, et quae paratæ erant ingrediantur ad nuptias, et claudatur janna.* Multò igitur satius fuerit antequam veniat dies Domini, talpas et vespertiones nostros abjicere, omniaque opera tenebrarum, cum quibus in lucem prodire nequaquam audebimus. *CAVERNAS.* *Seiph* si nificat cujuslibet rei *progressionem*, *protesionem*, *prominentiam*, *praeminentiam*, *excellentiam*, *excelsam*, etc. Sic intelligitur illud 1 Reg. 18: *Quandiu transilietis inter duas prominentias*, id est, inter duo extrema, id est, extremè opposita? *Si Jehova est Deus, sequimini eum; sin Baal, ite post eum.* Ad quem locum alludens Paulus et duo extrema exponens ait: *Ne ducatis jugum cum incredulis: quod enim consortium justitiam cum injustitiâ? aut quae communitio luci cum tenebris? aut quae concordia Christo cum Belial? aut quae pars fidei cum infidelis? aut quid convenit templo Dei cum simulacris?* ubi singulari consilio et industriâ pro *Jehova* dixit *Christum*, et pro *Baal* quâdam *Belial* substituit. Rectè ergo *prominentias* seu *extremitates rupium* dicemus hoc loco, sicut infra 57. De hoc nomine etiam infra 27 et 17 cap.

VERS. 22. — In hoc ultimo versu magna est varietas. Et quidem Judaei satis multis doctisque viris ex nostris imposuerunt hoc loco, ut crederent nihil ad Christum Dominum hunc locum pertinere, credantque hic præcipi, *ne sibi ab hominibus timerent, cum sint mortales, et spirando ac respirando vivant: ob quod nihil eorum, neque odium neque studium, sit faciendum magni*; hæcque ad sequentia referunt, q. d.: *Quod si nolueritis huic monitioni parere, sed ad Assyrios, etc., respexeritis, futurum est ut auferat Dominus vobis sapientem, etc., quæ mox sequuntur.* Hæc et his similia quidam afferunt. Sed valde mirum est si homines christiani ac bonis litteris non mediocriter instructi malint cum perfidis Judaeis judicare, quam cum orthodoxis Christianis rectè sentire et interpretari. Quid, quæso, præcessit de fiducia in hominis auxilium? Nihil certè, nisi *idola*, *opulentiam*, *superbiam*, *talpas* denique et *vespertiones* eis obiecti. Rursus, quid tot verba supplere necesse est et sequentibus hic versus cohæreat? Certè hujusmodi hiatus non sunt nisi ob detortum sensum, quem nobis infideles obtrudere conantur. At nonne de Ecclesiâ, de Religione christiana, de vocatione gentium et pertinaciâ Judaeorum sermonem instituit Propheta? Quis sane mentis hoc negabit? Nonne causas mox aperuit ob quas Deus dimiserit populum suum? Nonne *diem*

Domini imminere illis ob illorum scelera multis ac magnificis verbis explicavit? Annon ad *cavernas* et *caccanina montium* ob metum illis fugiendum prædixit? Quid aliud usque ad hunc versum præcessit? At hæc quis non intelligit quantum cum iis quae in Evangelis sunt conveniant? Nonne *deridebant* Dominum *Pharisæi avari*? Quid illud est: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem quaritis*? Quid rursum illud: *Occidamus eum, et nostra erit hereditas*? Nonne *argentea* et *aurea idola* hæc sunt? At non quoque passim *superbi montes* et *colles* dicuntur? Quid mirum igitur si cum hic dicit *diem Domini contra montes excelsos, contra quærens, etc., instare*; de moribus illius gentis interpretemur, qui erant *superbi, elati* et *inanis gloriae cupidi*? At quis est qui ignoret quod, cum de vastatione illius populi Dominus in Evangelio loquitur, ut magnitudinem periculi ob instans judicium Domini significaret, dixerit: *Qui in Judæa sunt, fugiant ad montes; et qui in agro, ne ingrediantur tollere quidquam, etc.*? An non hoc est *abjicere idola argentea et aurea, ut sese proripiant in latibula et cavernas terræ*? Nam quod *talpas* et *vespertiones* nominat, tropus est propheticus, neserim omnino esset perspicuus. Obscuritatem enim affectasse Spiritum S. in prophetis ne ipsi quidem adversarii negabunt. Intelligebat autem omnia ea quae homines brutis amentiores, oblit dignitatis suæ, maximo cum sui dedecore colere et adorare solent. Quod si quæ præcedunt omnia Christo Christique temporibus ad eum consonant, cur versum hunc, in quo aperte propheta Angelicus causam præcipuam desolationis illius denuntiat, ad eadem tempora non referentur, præsertim cum neque ipse voces, neque earum significatio et usus repugnent? Quid dico, repugnent? imò, quæ ipsi afferunt, nullâ ratione fulciantur? quæ autem dicemus, neque ipsi adversarii negare possint? Ac primò quidem verbum *kadal*, idem est quod *cessavit, desitit, abstimuit*, et sæpè absolute ponitur: interdum autem in regimine, ut hic cum prepositione *min*, à vel *ab*, ut 1 Sam. 9: *Cesset ab asinibus, etc.*; et Exod. 14: *Desistite à nobis, et serviemus Egyptiis*; et Prov. 25: *A prudentiâ tuâ desistite*; et mediante dativo pronominis (ut hoc loco) 2 Par. 35: *Abstine tibi à Deo qui mecum est.* In his et similibus locis vides quid significet verbum *kadal*. Neque adducere poterunt locum aliquem ubi hoc verbum absolute positum vel in regimine significet *desinit timere.* Nam in illo loco, 1 Sam. 9, de asinibus, perinde valet ac si dicat: *Cesset sollicitus esse pro asinibus.* Et ni obstarent præcedentia quæ jam commemoravi, et hic inciperet divisio, fateor posse hunc subesse sensum, q. d.: *Ne vobis placeatis in quovis homine; non enim est homo qui plurimî faciendus sit. Neque vos satis tutos esse putetis quod habeatis sapientes viros, etc.; ecce enim Dominus auferet, etc.* Porrò constructio quam hoc loco habemus eadem omnino est cum ea quæ est 2 Par. 35, et ubique reperitur, nihil aliud significat quam *Latinis, cavete vobis à, vel timete vobis à.* Nam rex Egypti, volens avertere Josiam ne sibi obisteret

adversus Assyrios proficiscenti, dicebat quod *jussu Dei iter illud suscepisset, proinde cavere sibi à Deo, qui cum ipso esset. Cave, inquit, tibi à Deo, qui mecum est.* Quodque hic sit sensus, confirmat quod sequitur, *ne perdat te fuditus.* Tantum igitur abest ut hoc loco significet *cessationem à timore*, ut ex phrasi Scripturæ oppositum præcipiat, scilicet *caveant, aut timeant sibi ab homine*; neque est quisquam qui vel primoribus labris Hebraea attingit qui hæc inficari possit; sed neque, quod vox *hamech* cum aliis atque aliis punctis significationem variet. *BAMEH* enim valet in quo, vel in eo, ut Gen. 11, et Exod. 22. At *BAMAH* in infinitis locis excessum significat, id est, *scellum* scilicet *excelsam*, seu *altare*, ab *altitudine* et *sublimitate*, eò quod in altum, et plerumque etiam loco alto et excelsò extructa fuerit. In plurali autem de aliis rebus excelsis etiam dicitur. Vide Lexicâ. Cum igitur olim Biblia absque punctis fuerint, et alias notiones Chaldaeus, alias Septuaginta, alias nos in eisdem vocibus multis in locis habeamus (ut in Præfatione admonui), quis audeat hoc loco Vulg. editionem abjicere? quoniam *excelsam* (vel *excelsus*) *reputatus est ipse.* Et si *excelsam* legas, admonet Judæos ne contemnant hominem illum, etiamsi juxta formam servilem similibus hominibus ceteris appareat, sed religiosè caveant ab ipso, perinde quasi à loco sacro, cujusmodi est altare aut templum. Nam *de templo corporis sui dixit ipse Christus* in Evangelio: *Solve templum hoc, etc.* Deque eodem dicit Paulus: *In quo habitat omnis pleitudo Divinitatis corporaliter*; ne scilicet eum audeant temerare, vel vim ipsi inferre, imò venerentur et adorent, juxta illud Psal. 2: *Adorate filium*; ubi Vulg. vertit: *Apprehendite disciplinam*; vel (si dativum pronominis non creverit, ut aliquando necesse est; quod tamen hoc loco non probò) *cessent ab illo*, id est, illum dimittant liberè, neque illi negotium facessant; sicut cum Judæi dicebant Mosi: *Cessa à nobis, vel desiste à nobis, et serviemus Egyptiis.* Nam interpretatio quam superioribus annis quidam in suis scriptis reliquit (quem nominare nolo quod eum hoc honore indignum putem, eò quod à fide Christi defecerit) nempe *CAVETE, id est, cavere soletis, ab homine, in cuius naribus est spiritus, id est, per iram stomachante; nihil enim cum delectu operatur; quanto magis iram Dei declinare debetis?* Hæc, inquam, interpretatio (si hoc nomine dicenda est) adeò est violenta, ut nemini viri eruditio sit probabilis. Quod si quis contendat legendum esse *BAMEH*, etiam de Christo intelligi non incommode potest locus in hunc modum: *Cavete vobis ab homine, vel desistite ab homine, in cuius nare est halitus; nam in eo halitu, ac ex ejus spiritu ostimandus, reputandus, seu magni faciendus est; nam spiritus ille seu halitus Spiritus sanctum designabat, qui testimonium de Domino nostro perhibuit et mundum de peccato arguit, etc.* Hinc facit quod *insufflante Domino acceperunt discipuli Spiritum sanctum* ad remittenda peccata; denique teste Paulo, qui apparuit in carne, *justificatus est in Spiritu*, etc. Quod si durum cuiquam

videatur ut pro in quo dicitur in eo, certè hoc nulli perito durum videri debet ut non in quo, sed in quantum, id est, quanti, dicamus, et sit potius admirantis quam floccipendens (sic enim sæpè accipitur meli Hebræum), q. d. : *Cavete vobis ab homine qui, sicut alii homines, spirat; sed quanti estimandus est? vel, sed quanti pro vestro iudicio faciendus est? Etsi enim mortalis est, mirum quanti illum facere deberetis? Simul enim Deus est, ille, inquam, Deus qui auferet ab Jerusalem, etc.* Pio zelo, ô christiane lector, commotus contra incredulos Judæos et judaizantes Christianos, qui Christi Domini gloriam ob suam oscitantiam et in Scripturis evolendis, conferendis atque exponendis negligentiam obscurant, illa tantum afferentes atque admirantes quæ impit et indocti Rabbini probant, hoc loco paulò diffusior fui quam consueverim, nequam à libi facturus quam ubi gloria Christi Domini id ipsum postulaverit. De voce tamen *neshamah* aliquid dicendum videtur; quod nomen à verbo *nascham*, id est, *anhelavit, anhelitum emisit*, deductum voluit; estque idem quod Græcis *πνέω*, de quo Gen. 2: *Inspiravit in naves ejus halitum vite*, que duo conjunctim posita Paulus, Act. 17, divisim et per diæresin jucundo Græcarum vocum

CAPUT III.

1. Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Jerusalem et à Judâ validum et fortem, omne robur panis, et omne robur aque;
2. Fortem et virum bellatorem, judicem et prophetam, et ariolum et senem;
3. Principem super quinquaginta, et honorabilem vultu, et consiliarium, et sapientem de architectis, et prudentem eloqui mystici.
4. Et dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis.
5. Et irruet populus, vir ad virum, et unusquisque ad proximum suum; tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem.
6. Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui: Vestimentum tibi est, princeps esto noster: ruina autem hæc sub manu tuâ;
7. Respondet in die illâ, dicens: Non sum medicus, et in domo meâ non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me principem populi.
8. Ruit enim Jerusalem, et Judas cecidit, quia lingua eorum et adventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.
9. Agnitio vultus eorum respondit eis: et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt: vae anime eorum, quoniam reddita sunt eis mala.
10. Dicit justo quoniam benè, quoniam fructum adventionem suarum comedit.
11. Vae impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei.
12. Populum meum exatores sui spoliaverunt, et mulieres dominate sunt eis. Populus meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressum tuorum dissipant.

concentu elocutus est, ubi inquit: *Cùm ipse det omnibus *זכור וזכור*, id est, vitam et halitum, neque re differt à ruah. Potest nihilominus deduci à verbo *schaman*, id est, afflatus et abominatio dignum fuit, de quo supra 1, 7. Inde nomen *neshamah*, Jer. 11, et Psal. 69, *habitatio eorum afflatus*, ubi Vulg. ex Græco *deserta*, et aliis locis. Dicitur autem hoc nomen tam de ipso flatu quo rem abominamur, quam de ipsâ re afflabilis, aut super quam (vel quam) *exsufflamus sive exsibilamus per contemptum*, vel *præ admiratione*. Abjctis ergo punctis, hic sensus neque contentendus in his verbis latet: *Cavete vobis ab homine, in cuius irâ est afflatio*, id est, desolandi vis; vel, *in cuius naso est afflatio*, indignationis scilicet et abominatiõis (sicut Deut. 29: *Fumabit tunc nasus Jehova*. *נש* enim primò *nasum*, deinde *iram*, que in naso apparet, significat); nam in eo magnum momentum atque pondus habet ipse status, et plurimî faciendus est, neque contentendus: *vae enim illi in quem sufflaverit, vel quem abominatus fuerit*. Et sic que sequuntur, optimè conveniunt: qui enim nihil fecerant afflatum ejus, eis evenerunt quæ proximo capite sequuntur. Vide vers. 8.*

CHAPITRE III.

1. Car le dominateur, le Seigneur des armées va ôter de Jerusalem et de Juda le courage et la vigueur, toute la force du pain, et toute la force de l'eau;
2. Tous les gens de cœur et tous les hommes de guerre, tous les juges, les prophètes, les devins et les vieillards;
3. Les capitaines de cinquante hommes, les personnes d'un visage vénérable, les hommes de bon conseil, les experts en architecture, les hommes qui ont l'intelligence de la parole mystique.
4. Et je leur donnerai des enfants pour princes, et des effeminés les domineront.
5. Tout le peuple sera en tumulte: l'homme se déclarera contre l'homme, et l'ami contre l'ami; l'enfant se soulèvera contre le vieillard, et les derniers du peuple contre les nobles.
6. Chacun insistera auprès de son propre frère, né dans la maison de son père: Vous êtes riches en vêtements, soyez notre prince, et soutenez de votre main cette ruine qui nous menace.
7. Il répondra alors: Je ne suis point capable de remédier à de si grands maux; il n'y a point de pain ni de vêtements dans ma maison; ne m'établissez point prince du peuple.
8. Car Jerusalem va tomber, et Juda est près de sa ruine, parce que leurs paroles et leurs œuvres se sont élevées contre le Seigneur, pour irriter les yeux de sa majesté.
9. L'impudence même de leur visage rend témoignage contre eux; ils ont publié hautement leur péché comme Sodome, et ils ne l'ont point caché. Malheur à eux, parce que Dieu leur a rendu le mal qu'ils s'étaient attiré.
10. Mais dites au juste qu'il espère bien, parce qu'il recueillera le fruit de ses œuvres.
11. Malheur à l'impie qui ne pense qu'au mal, parce qu'il sera puni selon la mesure de ses crimes.
12. Mon peuple a été dépeuplé par ses tyrans, et des femmes les ont dominés. Mon peuple, ceux qui vous disent bienheureux, vous séduisent, et ils rompent le chemin par où vous devez marcher.

15. Stat ad judicandum Dominus, et stat ad judicandos populos.
16. Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, et principibus ejus: vos enim depasti estis vineam, et rapina pauperis in domo vestra.
15. Quare atheritis populum meum, et facies pauperum commolitis? dicit Dominus Deus exercituum.
16. Et dixit Dominus: Pro eo quòd elevata sunt filia Sion, et ambulaverunt extento collo, et nubibus oculorum ibant, et plaudabant, ambulabant pedibus suis, et composito gradu incelebant:
17. Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crimem earum nudabit.
18. In die illâ auferet Dominus ornamentum calcamentorum, et lunulas.
19. Et torques, et monilia, et armillas, et mitras,
20. Et discriminalia, et periscelidas, et murenulas, et olfactoriola, et inaures,
21. Et annulos, et gemmas in fronte pendentes,
22. Et mutatoria, et palliola, et linteamina, et acus,
25. Et specula, et sindones, et vittas, et theristra,
24. Et erit pro suavi odore fetor, et pro zonâ funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fasciâ pectorali cilicium.
25. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in proelio.
26. Et morebunt atque lugebunt portæ ejus, et desolata in terrâ sedebit.

COMMENTARIUM.

VERS. 1. — *ROBUR PANIS*, etc. *Schaan* in primâ tantum legitur bellum, quid futurum sit nemo ignorat. Per *judicem magistratus, per prophetas eos* per quos Deus suam voluntatem significare consueverat, et qui in angustiis consolabantur populum, et nonnunquam in rebus afflictis et desperatis, quid factu opus esset, ne perirent, prædicabant. Lege *Jeremiam*. Per *divinos autem et senes*, eis qui longâ rerum experientiâ atque prudentiâ, circumstantiis omnibus inter sese collatis, quando non est propheta aut princeps, solent aliis consulere, et mutò exhortari ad munus suum exsequendum tam in pace quam in bello, tamque in tranquillâ et prosperâ quam in adversis rebus. Est autem *Nabi, propheta*, à verbo *bo, venit*: quo nomine dicebatur qui immediatè ad eò excitabatur, ut quod ei divinitus revelatum esset, aliis venturum sui faciendum nuntiaret. Magna autem fuit semper prophetarum non modò in Ecclesiâ Dei, verum etiam apud gentes gloria et reverentia, quia Deus hujusmodi personam subinde novis signis et mirabilibus prodigiis clarere volebat, et ornabat, quibus vocatio ipsius et verbum confirmaretur. Olim dicebatur *Videns*. Vide 1 Sam. 9; et 1 Par. 29, ponuntur tria nomina quasi synonyma, et Samuel dicitur *roch, videns*, *Nathan, nabi, propheta*, et *Gad kore, providens*. Deinde abusive *propheta* nomen ad quosvis divinæ voluntatis interpretes accomodatam est, Exod. 7, etc. Populus autem ille prophetis semper abundavit. Unde inter

VERS. 2. — *FORTEM, Gibor, heroem, gigantem, prævalidum significat, nempe eum qui aliis virtute præstat, etc.*; unde hic pro *duce in bello*, accipio. Virum

(1) AUferet à JERUSALEM. Immettet, inquit Propheta, Dominus magnam lamenam Jerusalemitanis et Judæis Christum non recipientibus. Eritque tandem in illo populo tam seva clades, ut amissuri sint omnes fortes viros, prophetas, judices, etc. Ubi manifesta est de Christo Prophetia; de quo dictum sit: *Non auferetur scriptum, etc.* Hic videt judices et primates in ejus adventu auferri.

(Clarius.)

13. Le Seigneur est prêt à juger; il est prêt à juger les peuples.
14. Le Seigneur entrera en jugement avec les anciens et les princes de son peuple, parce que vous avez ravagé sa vigne, et vos maisons sont pleines de la dépouille du pauvre.
15. Pourquoi foulez-vous aux pieds mon peuple? Pourquoi meurtrissez-vous le visage des pauvres? dit le Seigneur Dieu des armées.
16. Le Seigneur a dit encore: Parce que les filles de Sion se sont élevées d'orgueil, qu'elles ont marché la tête haute en faisant des signes des yeux et des gestes des mains, qu'elles ont mesuré tous leurs pas et étudié toutes leurs démarches.
17. Le Seigneur rendra chauve la tête des filles de Sion; il arrachera tous leurs cheveux.
18. En ce jour-là, le Seigneur leur ôtera leurs chausures magnifiques, leurs croissans,
19. Leurs colliers, leurs filets de perles, leurs bracelets, leurs coiffes,
20. Leurs rubans de cheveux, leurs jarretières, leurs chaînes d'or, leurs boîtes de parfums, leurs pendants d'oreilles,
21. Leurs bagues, leurs pierreries qui leur pendent sur le front,
22. Leurs robes magnifiques, leurs écharpes, leurs beaux linges et leurs aiguilles,
25. Leurs miroirs leurs chemises de grand prix, leurs bandeaux, et les habillemens légers qu'elles portent en été;
24. Et leur parfum sera changé en puanteur, leur ceinture en une corde, leurs cheveux frisés en une tête nue et sans cheveux, et leurs riches corps de jupees en un cilice.
25. De même les hommes les mieux faits parmi vous seront passés au fil de l'épée, et vos plus braves périront dans le combat.
26. Les portes de Sion seront dans le deuil et dans les larmes, et elle s'assiéra sur la terre toute désolée.